



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Feriis hebdomadæ tertiæ [i.e. quartæ] Adventus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

rudis, cui solemne trecenties ea verba quoti-
die pronuntiare.

Clarius autem illâ viâ quid est, quam Claritas
domini circumfulsit, Sol in nocte ortus? Cùm
audimus gentem esse, ubi nox annum me-
dium durat, quàm tristis imago nobis videtur?
Triduum unum noctis perpetuæ tristissimum
fuit Ægyptiis. Ita sunt qui sese regere volunt. In
tenebris ambulant, nesciunt quò vadant, pal-
pant etiam in meridie: cæci seipsoſ cæcos du-
sentes, &, ut Bernardus loquebatur, stulto se
discipulos tradentes. Deo laus, *nox precessit,
dies appropinquavit.* Luminosissima est via Re-
gia sanctæ Crucis, quia Regia. Rege per tene-
bras incedente, ubique accenduntur funalia:
Christo per viam Crucis incedente, arserunt
piorum corda, & totam illam semitam ita illu-
minaverunt, ut quamvis Christi exemplum
deesset, à Sanctorum tamen ipsum sequentium
exemplis dicere posset verissimè, *Qui sequitur
me, non ambulat in tenebris.* Sol lucet, Luna
lucet, stellæ lucent: undique dies oculis inge-
ritur. Ambulemus in lumine Dei nostri.
O Christe rectitudo ipsa deduc nos: Æquali-
tas complana nos: Puritas expurga nos: Lux
illumina nos.

FERIIS HEBDOMADÆ IIII.

TRactentur Fructus bonæ voluntatis. Pro
primo thema sit *Gloria in excelsis Deo*: pro
aliis

alijs duobus, *In terra pax hominibus bona voluntatis.* Epilogus quartam Concionem faciet, præfixo utroque themate: neque omittendus videtur, etsi Adventus brevior esset: potius contrahendæ forent aliæ Conciones.

DIE S. THOMÆ.

THEMA. *Thomas, unus de duodecim, qui dicitur Didymus.* Joan. 20.

Thomæ nomen duo significat, Abyssus, & Geminus. Ex hoc Evangelio verè fuit Abyssus D. Thomas, & quidem duplex, miseræ & misericordiæ: abyssus abyssum invocavit. Fuit geminus facie duplici, unâ horrendâ peccatoris, aliâ pulcerrimâ poenitentis & Justi. Vtramque intueamur: illam pinxit liberum arbitrium, hanc gratia, quam imploremus. A V E.

Ex frequentissimis pariter & maximis Providentiæ divinæ miraculis, est rerum compositio ex contrariis, & vicissitudo perpetua. Siracides cap. 33. *Duo contra duo, unum contra unum.* Intuere mundum magnum, tempestates annuas, elementorum pugnas, lucis & tenebrarum alternationem. Intuere mundum politicum; nunc pacem, nunc bellum; nunc prosperitatem, nunc adversitatem; nunc ortus regnorum, nunc interitus. Intuere mundum parvum, id est hominem, quæ pugna in humoribus, quæ varietas in ætatibus, quæ in membris sanitateque mutatio? Quid autem si interiorem hominem inspicias;